

M I M

1 6 4 8



~~C. 6. 5~~
Ll, 2, 3.

30 B 10.

In usum Pedagogii
Regii Glauchensi

142
CLARISSIMÆ ET
CONSULARI
F O E M I N Æ

D O R O T H E Æ
S I B Y L L Æ
N E A N D R Æ,

Consobrinx suæ Opt.

& dilectissimæ,

IV. Id. Octobr.

Anno assertæ salutis

CLC IC CXXXVII.

piè in CHRISTO
defunctæ,

mæstissimus

PARENTAB.

M. JOANNES MOLLERUS

Scholæ Francofurtanæ

RECTOR.

Francofurti cis Viadrum

Literis

MICHAELIS KOCHII.

VIRO
CLARISSIMO, CONSULTISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO

DN.

M. CHRISTOPHORO NEANDRO

Philosophiæ moralis in illustri Academiâ Fran-
cofurtanâ Professori Publico, & Seniori Vene-
rando; Avunculo, Doctori & Promotori
suo reverenter & piè co-
lendo.

Ut &

AMPLISSIMO SPECTATISSI-
MOQVE VIRO

DN.

SAMUELI GERSTMANO

Reipub. Francof. Consuli primario, Affi-
ni & Fautori plurimum ho-
norando,

Filiam dulcissimam & desideratissimam;
Uxorem charissimam & fidissimam.

LUGENTIBUS

Veram à DEO Patre per CHRISTUM
consolationem pre-
catur

M. JOANNES MOLLERUS.

VIRI Excellentiss., Ampliss. & Consultissimi,

ETSI ea estis virtute & firmitudine animi, cum ex sapientissimorum hominum scriptis, tum ex sacrarum maximè literarum monumentis, quæ robur invictum unæ contra adversa omnia suppeditare possunt, acquisitâ, & pluribus experimentis comprobatâ; ut quicquid homini accidere possit, id vos masculo pectore excipere & sapienter moderatèque sciatis ferre: tamen ex hoc tristissimo casu & præmature obitu dilectissimæ vestræ DOROTHEÆ-SIBYLLÆ dolorem Vos acerbissimū haurire, planè est credibile: quippe qui ita constantiæ severitatè tue mini, ut humanitatis legem non excedatis: memores illius, quod est à Senecâ proditum: *inhumanitatem esse, non virtutem, funera suorum iisdem oculis, quibus ipsos videre.* Et quis verbis assequi se posse confidat, CL. & Excell. Dn. NEANDER, Avuncule æternū colende, quantum cum tua Coniuge, matronâ honestissimâ & verè piâ vulnus acceperis hac orbitate confossus, & quanto mœrore conficiaris? cui lacrimæ cadunt ad cogitationem charissimæ filiolæ, *quam Tu plus oculis tuis amasti, tam subito in ipso flore extinctæ.* Scilicet hoc unum deerat ad summam miseriam, ut jam olim tibi ætate meliori, turbato mortalitatis ordine tot acerba liberorum funera secuto, post acceptas maximas & privatas & publicas calamitates, etiam *Φαίε Συγλυπερώτερον ὄμμα* Filia, quam tibi unam ex pluribus reliquam DEUS esse voluerat, novissimo partu ab uxore editam, quales ferè parentibus solent esse chariores, non sine acerbissimo doloris sensu eriperetur, jam uxor, jam dūm filiolarum mater, tertio fœtu antè denato quàm nato & intra materna viscera, id quod dolorem tuum exulcerat, sepulto. Quæ tibi & piæ matri à teneris ungviculis ad omnem honestatem & virtutem educanti, dicto semper audiens & morigera fuit, neque unquam *κτῆμα ἐργῶδες, χαλεπὸν καὶ δυσδιάθετον* aut *πικρὸν ταμείον*, sed cum necesse esset eam diligere, qualiscunq; esset: omni pietate, quam ne vultu quidem unquam ledere visa est, effecit ut libenter quoq; amaretis. Itaq; etiam cum primariæ dignitatis Viro nupta reverentiam & amorem tui non migravit, sed perinde atq; cum domi esset atq; in tuis sacris, non verbis solum, sed & re ipsa ostendit. Magnâ ego cū voluptate recordor, quoties
▲ 2 ad te

Sen. ep. 99.

Menand.
ap. Stob.
serm. 75.
Diphil.

ad te inviseret, quàm modestè sit te complexa, quàm blandè & suaviter matronali gravitate compellàrit, cùm verbis, tum etiam animo & vultu, ut nihil posset suavius, omnibus ex partibus amore & veneratione tui se ostendente. Et habebas tu verè quàm te oblectares & solareris unà, in quam intuens facilè omnes acerbitates quas excepisses, ex memoriâ deponeres. Has spes, hæc gaudia dies unus confudit & in diversa convertit. Quò magis Te & Uxorem fidissimam, desiderio piæ filia angit & contabescere necesse est, cùm hic novissimus ictus etiam veteres plagas dolore rescindat, graviq; adeò vulnere illa, quibus stuporem fecerat diuturnitas, recrudescant. Quàm in parte id tibi quoq; peracerbum accidit, ut quam Tu & Coniux tua ornatissima, jam Viro jungendam ad ædem sacram, superatis tum articulorū doloribus, tum affectæ ætatis incommodis deduxeratis, eidem exequias ire, sive senio debilitati sive in suspicionem contagiosæ luis, vanam, ut DEO adjuvante eventus docuit, vocati non potueritis, cùm tu quoque Dn. Consul publico careres.

Etsi autem, Dn. Avuncule, reliquos habes, atq; utinam diu habeas voto tuo superstites duos filios, DN. SAMUELEM & DN. JOANNEM, Viros Clarissimos & Consultissimos, alterum Reip. Luccanæ Syndicum, alterum in dicasterio Electorali NeoMarchicò caussarum Patronum, Consobrinos & Fautores meos, olim etiam eorundem studiorū tum in hac, tum in Jenensi Academiâ consecratos, quos honoris causa nomino, ut desolatum te queri non possis, neq; desint, quibus orbitatem tuam soleris: nosti tamen id quod à Plutarcho est proditum: *filios matres magis amare videntur*, quàm in parte idem cum Syracide sentit, *filias autem Patres*: sive mavis id quod est apud Tragicorum principem; cujus singulos versus singula testimonia putabat Cicero:

Plut. in con-
jug. præc.
Ecc. 36, 23.
Ep. 8. lib. 16.
ad fam.
Eurip. in
Supplic.

πατρὶ δ' ἔδεν ἡδίων
γέροντι θυγατρὸς: δεσέων δὲ μείζονες
ψυχαι, γλυκείαι δ' ἦσαν εἰς ἡπιόματα.

Neque Tu, Dn. CONSULE, minus animo angeris, qui castissimam & singularis exempli uxorem amisisti, cujus quanquam vix integrum quinquennium usus es amabili consuetudine: tamen non dubito, quin exigui etiam temporis cum illâ sine jurgio & sine offensâ exacti recordatio tibi semper futura sit jucunda & desiderabilis: præsertim

serm quod
non potest
& Matri, e
mis ad coe
multis pre
rata illa v
aut non ni
leq; morat
lis Libani
metuit, qu
ror non b

& qualem
tu non op
pudicèq;
virtutibu
bus imbu
erat illa r
rorum, m
fatagens,
um quàm
sermonis
virtutè &
res Uxor
ret ornat
lieribus,
cus, dua
dicens:
ne gloria
dunt, tot
probis m
studebat
ne suaviss
fuisse da



fertim quoties cogitabis (fieri quidem id absque lacrimis tuis multis non potest) quàm piè, quàm placidè in brachiis tuis, postquàm Tibi & Matri, qui morienti astabatis, valedixisset, manibus innocentissimis ad cœlum sublatis, purissimâ animâ & CHRISTI sanguine lotâ multis precibus DEO commendatâ expirârit. Valeat enim scele-
rata illa vox: *Mors fieri moriri suam quisq; uxorem ut velit:*

aut non nisi ab improbis maritis usurpetur, aut de incommodis malèq; moratis uxoribus, qualem Secundus Philosophus describit, qualis Libanij Sophistæ eras, cujus ille loquacitatem etiam apud inferos metuit, qualis item Q. Ciceronis, Pomponii Attici Viri Optimi soror non bona: Tua verò erat illa verè *ταμείον ἀρετῆς γυναικία γυνή,*

γυνή δὲ χρηστὴ πηδάλιον ἢ οὐκείας

γυνή δὲ χρηστὴ πηδάλιον ἢ οὐκείας

& qualem Spiritus Sanctus Salomonis calamo descripsit. Quam tu non opus erat, ut bonam efficeres, cum talem invenisses, piè pudicèq; in disciplina & admonitione DEI educatam à Parentibus, virtutibus eum sexum ornantibus innutritam, & sanctissimis moribus imbutam, quos ad te allatos constantissimè retinuit. Itaque erat illa religiosa in DEUM, tui reverentissima, amantissima liberorum, mater familiâs prudens & sedula, reiq; domesticæ cum primis satagens, procul à fastu & pompâ, (in quo morbo sequior sexus nimium quàm familiariter cubat) existimans, satis sibi ornamenti esse in sermone atq; ornatus parsimoniâ, & pro omni ornamento mariti sibi virtutè & laudes sufficere, (quemadmodum Philonis sapiëntiæ sectatores Uxorè interrogati, quam obrè sola ex alijs in conventu non gestaret ornatu aureum, respondisse, est apud Stobæum:) totaq; ab illis mulieribus, quæ strenuè operam dantes, ne mendacij possit argui Comicus, *duas has res, navem & uxorem nunquam satis ornari possedicens: de operibus vermium & murium pellibus in gloriam plañe gloriam mendicare non erubescunt,* patrimonia vestibus impendunt, totisq; incedunt exornatæ fundis, diversa: illi ornatui, quem probis matronis sectandum Apostolorum Principes præcipiunt, unice studebat. Quocirca sine reprehensione nec sine exemplo in amissione suavissimæ & probissimæ uxoris, quâ poteras affirmare, si vita illi fuisset data longior, *in illo proposito permansuram,* quasi gravissi-

A 3

mâ &

Pompon. apud Non. Marcell. in verb. Irascere. Cicero Att. ep. 1. lib. 5.

Prov. ult.

Demoer. ap. Stob. serm. 72. d. ser. 72. plur. Tiraq. l. 3. connub. n. 12. & 21. Plaut. Pan. a. 1. sc. 2. Bernh. de verb. Es. Vidi Dominum serm. 2. 1. Petr. 3, 4. 1. Tim. 2, 9.

Stat. præf. s.
filv.

Senec. in
Excerpt.

inā & intolerabili jacturā doles, satisq; ostendis, quantoperē amarissimam
vivam, in cujus obitu tam pio dolore te esse affectum videmus. Verē
enim tu cum Statio statuis, quōd *Uxorem amare vivam voluptas
sit, defunctam religio*: nemoq; est, quin dolori tuo non modō i-
gnoscat, sed etiam laudē tribuat, & quasi justitio indicto partem ali-
quā mœroris ferat. Neq; ego te ad illam ineptam & futilem planeq;
indignam Stoico supercilio, à quo tamen profecta esse videri vult,
vocārim consolationem: *Uxorem adventitium bonum esse, nec
inter illa, qua semel alicui contingant: multis bonam uxorem lu-
gentibus successisse meliorem*. Tibi illud, atq; haut scio an paucis
contingere potuit: sed sapiūs eandem tentare fortunam, & hac spe
efferre uxores,

periculosa plenum opus alea est.

Credatis mihi velim, VIRI Excellentiss. & Amplissimi, me illo
tristissimo casu ita perculsum fuisse & afflictum, ut majorem omni-
um opinione dolorem ceperim, neq; totā vitā mihi quicquam tristius
accidere meminerim. Quanquam enim videtur longiūs à summi
luctūs acerbitate meus abesse dolor, quā vester: minimo tamen in-
tervallo distat, & vix animadvertendo discrimine se jungitur, cum
qui vobis simplex est, eum mihi sentiam duplicari. Neq; enim meā
tantum causā justissimē & acerbissimē doleo, ereptā mihi consobri-
nā optimā & nostri amantissimā, in quā cognationis nostræ ad pau-
cos redactæ & penē deficientis spem posueram non mediocrem: sed
etiam vestrā causā ex animo vehementissimeq; lugeo, quorum in-
commodis non minūs, quā meis, afficior. Quid enim aliud me
facere decet? quā ut, quem tu, Venerande Dn. Avuncule, amore ve-
rē paterno complecteris, atq; ita indulgenter habes, ut nihil in rebus
tuis sit maximum, minimum, quod mecum non amantissimē com-
municēs, instructissimam etiam tuam & multorum numerum bi-
bliothecā mihi non minūs quā tibi ac liberis tuis patēre permittas:
ego vicissim omni te pietate, si modō gravissimum & sanctissimum
illud nomen meritis erga me tuis respondet, colam, & quemadmo-
dum rerum secundarum me socium non dedignaris, ita & doloris in
me partem transferam, si quā tibi levare aut minui possit. Ad conso-
landum autem te tantum abest, ut sim idoneus, ut non sine lacrimis
multis

multis id co
Ideoq; cum
rem, neq; u
mitigare, a
quoque p
nihil babea
nerabiliter
animi suor
scripsi Epic
& recens di
functam m
monium, i
bis veniam
censor,) si
traxerit, e
critate, qu
id quod est
mœroribus
luctus, ali
barbarism
DEU
ardentissim
fuso grati
rebus om
visum, & v
tul, à di
matrimon
citiæ teste
moribus
decrepita
Tan
ordine qu
culum viv
tium dom
scunt, vor

multis id conari queam, ipseque consolatione quam maxime indigeat. Ideoque cum dolorem illum mihi universum exhauriri vix posse sentirem, neque ullam rationem scire vehementissimum defunctæ desiderium mitigare, aut alio officio ipsam prosequi, quam si ejus memoriam quoque pacto conservare studerem, cum autore ~~Symmacho~~ nihil habeat sanctius reverentia superstitem, quam ut amissos venerabiliter recordetur: ex adverso, ut ait Seneca, inhumani sit animi suorum oblivisci, ac memoriam cum corporibus efferre, scripsi Epicedium beatissimæ Matronæ, prout dolor adhuc calidus & recens dictavit, id quod vobis offerre volui, pijs affectibus erga defunctam monumentum, observantiæ ac pietatis erga vos meæ testimonium, in quo si pleraque omnia languere & jacere videbuntur, dabis veniam, CL. DN. Avuncule, (ut es nunquam in me districtus censor,) si quid vitij stilus ab animi ægri & malè affecti contagione traxerit, eum te non fugiat opus esse ad poëma quadam animi alacritate, quam à me penitus proscriptam noli requirere. Nosti enim, id quod est apud Sidon. *latitiam poëtarum, quorum sic ingenia mœroribus, ut pisciculi retibus amiciuntur, neque permittit tantus luctus, aliud habere in actione, aliud in carmine, cum sit quidam barbarismus morum, sermo jucundus & animus afflictus.*

DEUM ego omnis consolationis saluto, precibusque imploro ardentissimis, ut grave hoc vulnus, quod vobis est inflictum, ipse infuso gratiæ suæ oleo persanet, vosque quam diutissime incolumes & rebus omnibus florentes conservet, ut si ita illi immortalis DEO sit visum, & vobis expediat, in duarum filiolarum, quas tibi, DN. CONSUL, à dilectissima Coniuge, relictas, felicis & benè concordati matrimonij pignora, imagines vultus atque animi tui, maternæ pudicitiae testes, honestè liberaliterque educabis, & verâ pietate sanctisque moribus institues, honestâ elocatione ætas vestra ingravescens & decrepita acquiescat.

Tandem, idem ille Omnipotens & misericors DEUS, quo ordine quemque voluerit, collectos nos omnes & colligatos in fasciculum viventium recipiat in cœlestem patriam, beatissimarum mentium domicilium, quò pius quisque in his turbis, quæ indies increbrescunt, votis omnibus & desiderijs suspirat: *Ubi nos magnus caro-*

rum

Auson. in prefat.
Symmacho.
ep. 31. l. 9. parental.

Sen. ep. 92.

Cic. ad Q.
Fr. 1. 3. ep. 50.
Ep. 9. lib. 2.

Sidon. ep. 37.
lib. 9.

Cyprian.
serm. de
mortalit.
circa fin.

Bernh. in Pl.
qui habitat.
serm. 17.

Cyprian.
d. l.

rum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum: frequens nos & copiosa turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra incolumitate sollicita, ut verbis utar mellitissimi Doctoris Cypriani: Ubi jam vivere D O R O T H E A M nostram S I B Y L L A M pie indubitanterq; credimus, & ex dulcissimo D E I aspectu, caelestiumq; animorum consuetudine gaudium percipere ἀφθαρτον, καὶ ἀπύλατον καὶ ἀδιάπτωτον, ut ejus mortalitas magis quam vita finita esse merito censeatur. Hac enim vita, qua vivimus, ait Bernhardus, magis mors est, nec simpliciter vita, sed vita mortalis. Moritur homo, dicimus, quando morti certissima appropinquat. Quid vero agimus, ex quo primum incipimus vivere, nisi morti appropinquare, & incipere mori? Ibi verè vivitur ubi vivida vita est & vitalis; Ibi dies boni, ubi interminabilis longitudo dierum. Credo equidem sanctissimam illam & caelo receptam animam, si loqui nobiscum posset, nihil dicturam aliud, quam mundo ita nutante & labente, & ruinam sui jam non senectute rerum, sed sine restante, D E O se gratias agere, & sibi gratulari, quod exitu maturiore subtracta ruinis & naufragijs & plagis imminentibus sit exuta: optareq; ut quos hic amavit, quamprimum à D E O, ad eorundem societatem gaudiorum evehantur. B. V.

Dab. ex museo meo, Anno 1637. ipso die Non. Novemb. quo die ab hinc quinquennium tua tibi, DN. CONSUL, D O R O T H E A . S I B Y L L A nunquam sine honoris elogio & acerbitatis sensu nominanda, cui extremum hoc dedimus, in maximâ coronâ honestissimorum hominum utriusq; sexûs, qui invitatu vestro frequentes convenerant, D E U M pro felici conjugio unâ vobiscum precati, ad aram jungebatur.

3(0) 50

Odera

O Dera funde pijs numerosas fletibus undas,
Najades in rorem te praecunte fluant.
Vos o nil prater jam nomina inania Musa,
Depositâ planctus ingeminate lyrâ.
Ferali viridem laurum mutate cupresso,
Pro lusu lectum nunc resonare decet.
Qua paucis visa est retrò florere diebus,
Heu! nec-opinatâ morte perempta jacet.
Fle Pietas, fle sancta Fides, Moresq; pudici
Plangite, DOROTHEE vestra SIBYLLA jacet.
Unica CHRISTOPHORI de multis Nata NEANDRI,
Pierio fulget qui quasi gemma choro.
Hei mihi! doctiloqui dulcissima Nata NEANDRI
ANNA matre jacet profata CNOBLOCHIA.
Filia qua quondam-celeberrimi in arte medendi
CNOBLOCHII, cujus fama perennis erit.
GERSTMANNI nuper longè suavissima Coniux,
Praecipui in nostrâ Consulis urbe, jacet.
Ante diem elisit cui Parca, heu ferrea! vitam,
Si potuere alijs currere fata rotis.
Heu, lapides mihi visa meros ea fama profari,
Qui cerebri quaterent asperitate tholos.
Atq; velut Zephyris molles agitantur arista,
Horruï, & ex toto pectore sanguis abit.
Si posset Pietas vim sua sistere mortis,
Si casti mores atq; maritus amor;
Vitares Matrona diu veneranda sepulcrum,
Coniugeq; o Consul perfruerere tuâ:

B

Non

Non potuit Pietas mortis cohibere furorem,
Nec casti mores, nec bene-fidus amor.
Intras omnium properè, Matrona, sepulcrum,
Conjuge nec Consul porro fruere tuâ.
Qua steteras nuper cultu speciosa pudico,
Illibata Deo sic rosa grata jaces:
Ut qua Pæstans rosa manè effloruit hortis,
Virgineo properè pollice vulsa cadit,
Terra avulsa sinu, cum deficit humor alumnus,
Purpureum amittit, quod fuit antè, decus:
Candida sic fractis ad terram lilia culmis
Demittunt niveam marcida tota caput.
Sic modò qua cultu stetit ambitiosior herba,
Assole mori solstitialis amat.
Hic aliquis crudo permittens frena dolori,
Mærorum fractus pectora mole fremat:
Ecquid Parca furistruculenta? an candidè amantes
Improba concordi ferre in amore negas?
Dispensare colus decuit me stamina vestræ,
Pensa alio longè pollice tracta forent.
Non equidem meruit divelliâ Conjuge Conjux,
Digna Sibyllinos esse SIBYLLA dies.
Heu tamen heu subitâ divelli morte videmus,
Litera sic rigido scripta adamante jubet?
Occidit at numero nimum florentibus annis,
Se soboli eripiens, gaudia multa viro.
Hei mihi! Virtutis cor illud amabile templum,
Vermibus hæc opicis ora cibatus erunt.

Hem

Hem satis hoc caussa, cur sit discedere justum
In lacrimas, multoq; imbre lavare genas!
Nec satis hoc caussa, magis arumnabile fatum est,
Et crux mille alias vincere sola potis:
Ventris onus casti quod pulchrè plena nequibat
Solvere, jam partûs spe propiore cadit.
Quis stimulos tanti queat enarrare doloris?
Efferi verbis num dolor iste potest?
Ecquid flebilis concurrere possit ad unum,
Quàm charos uno funere ferre duos?
Quid magis audiri, quid dici triste queatur,
Quàm matrem & sobolis spem cecidisse simul?
Fit prius exheres vita quàm pugio cernat,
Fit fœtûs bustum mater adempta sui.
Conjugij ô specimen fallax & triste feracis,
O spes optati vana puerperij!
Sic olim pingui committit semina fundo,
Ubere se jactans fertilioris agri,
Non opera parcens ulli sumptuq; colonus,
Expectat cultûs fœnora larga sui,
Ridentem aspiciens segetem sub tempora veris,
Venditat ipse suas praeo disertus opes,
Pronus avaritiæ digitos accommodat, atq;
Spe plenus summam sic aliterq; facit.
Interea segetem aut nimius depascitur æstus,
Aut sata continuo diluit imbre Notus,
Messeq; decollat spes vicinante misello,
Pro granis stipulas dum siliquasq; legit,

B 2

Substruit

Substruit hinc mento fractus mœrore columnam,
Latus & est longè, quàm fuit antè, minùs,
Figit humi vultum atq; obtutu fixus in uno est,
Ut qua delapsam fœmina querit acum.
Ramentâ haut gravior, numo haut propensior uno,
Incipit infelix spernere nomen agri.
Qua tibi mens animi, Consul GERSTMANNE, quid inquis?
Sic spes est omnis corde sepulta tuo?
Integra nondum abiit totius summula lustri,
In thalamos iret quando puella tuos.
Ista tibi, nisi fallor ego, tùm vota fuere,
Hæc, mihi qua tandem lumina condet, erit.
Ecquis enim poscat connubia tertia prudens?
Quæ veniæ plus quàm laudis habere putant.
Verùm qua tunc te lux aurea circumfulsit,
Quàm fugit ex oculis exanimata tuis!
Ipse atratus abis casu confossus acerbo,
Confundit medium nox tibi densa diem.
Pullatus squalis igitur Solemq; recusas,
Quandoquidem te Sol deserit ille tuus.
Heu, quod discidium est de jungi pectora amanti,
Fœdere legitimo quos sociavit Hymen!
Nec quisquam accepit vulnus crudelius unquam,
Hujus ita expertus fulmina sortis ait.
Vidi ego, qua nuper steterat speciosior ulmus,
Quando marita illi gloria vitis erat;
Mox viduata suo dederat quem palmes honore,
Contrahit explicitas arbor opaca comas.

Fallor

Fallor ego
Sing
Quò Sol n
Infel
Prior esse
Nubi
Quis me e
Ad
Ecquis in
Ibit,
Ecquis an
Elue
Hem mea
Sic m
Accipe m
Una
Carule d-
Quo
Cur non u
Ossa
In thalam
Inq;
Mitior h
Me
Ecce capa
Imp
A me dim
Vita



Fallor ego? an fractis iteras hac talia verbis,
Singultu semper praepediente loqui:
Quò Sol noster abis, tenebras facture profundas?
Infelix radijs ergò carebo tuis?
Purior esse mihi qui te vivente solebat,
Nubibus incipiet turbidus ire dies.
Quis me egressurum nexu remorabitur arcto,
Ad reditum crebrò prospicietq; meum?
Ecquis in occursum redeunti à mole negoti
Ibit, & intranti basia blanda feret?
Ecquis amaritiem cura quam Curia gignit,
Eluet affatùs nectareo imbresui?
Hem mea lux olim, mea vita salusq; meum mel,
Sic me sic igitur non comitante fugis?
Accipe me comitem, cineres miscebimus ambo,
Ulnaq; defunctos contumulabit humus.
Ceruleâ-ne oculos tibi claudam in morte natantes?
Quos ut formares, vota fuere, mihi.
Cur non umbra tuis adjungar manibus, Uxor?
Ossaq; cur saxum non mea claudat idem?
In thalamo situs est, mœstisq; silentia mensis,
Inq; tu tota est funere muta domus.
Mitior hoc uno possis, Mors se va, videri,
Me me si geminâ mox sicilice metas.
Ecce capax leti pectus cupidumq; sepulcri!
Impavida ora tibi, tu modo perge, dabo.
A me dimidiâ postquàm plus parte recessit,
Vita mihi mortis reliqua ad instar erit,

Alter pars raptâ est, pars alterâ sanguine manat,
Et cutis ad tactum disilit agra levem.
Spiritus in tennes eat antè precarius auras,
Quàm me perpetuo vita dolore premat.
Oscula sic suprema legens fortassis aisti,
Sicq; procul dubio saepe dolenter ais.
Amisâ veluti gembundus compare turtur
Populeis subter frondibus usq; dolet,
Prædesiderio tabescens conjugis, illam
Tam nascente die quàm moriente vocat:
Sic orbis castâ Consul spectate quiritas
Conjuge, cujus amor primus & unus eras.
Cui probitas sine labe, decus sine vulnere, pectus
Divini plenum semper amoris erat,
Et nullis animus vitiati sordibus ævi
Turbidus, atq; fides intemerata tori.
Matris ad exemplum, quod totâ mente secuta
Conjugis implevit munia cuncta BONÆ.
Liberum amans, reverensq; Tui, observansq; Parentum,
Ut posses donum dicere jure DEI.
Talis erat Conjux, quam tecum flemus ademptam:
Quales Saturni tempore Regis erant.
Quam priscis meritò poteras opponere seclis,
Temporane hæc illis nostra minora forent.
Qualis Penelope tardi celebratur Ulyssis,
Qualis erat forti Laodamia viro,
Qualis & Andromache, vel Pythagorea Theano,
Qualis Tarquinij Cæia Regis erat.

Qualis

Qualis Pompeij Cornelia, Coniuge caso
Cui pudor, haut solo posse dolore mori.
Qualis casta suo nolens superesse marito
Arria, quæ ad mortem vulnere fecit iter,
Qualis & Helvidij fidissima Conjugis, illa
Haut a viâ multum Fannia amore minor:
Talis casta decem annumeranda SIBYLLA Sibyllis,
Vivatua, Consul, sedula cura domûs.
Longè etiam superans fidei splendore priores,
Unius & verâ cognitione DEI.
Cujus es antè, grave hoc! dimittere colla coactus,
Ad tua quàm sextum vota rediret hiems.
Ergò tuum cor edens latè loca questibus imples,
Defuncta & frustra nomen inane cies,
Suspensiq; oculis imbres velut aggere rupto
Fortius inq; genas oraq; tota ruunt.
Sincero Fratres jungunt ex pectore questus,
Amplius optantes posse Sorore frui.
Optio si detur, neuter velit esse superstes,
Germanæ ad cineres iste perennat amor.
Quin & Privignæ (nec possunt fingere vultum.)
In lacrimas mæsto corde dolenter eunt,
Ad tumulum plorant, Pietas ô rara, Novercæ,
Et dant inferias Patris amore tibi.
Mater eras illis affectu fida sereno,
Et verâ distansâ Genitricæ nihil.
Illetabile amans nomen lenire novercæ,
Cogebas matres sape pudere sui,

Concilians



Concilians semper sine fuce & fraude maritum,
Debeat ut pietas hæc tua jure coli.
Jure coli merito pietas tua debuit illa,
Et quàm rara magis tam mage clara fides,
Tuq; tenere Bonæ titulos laudemq; Novercæ,
Non minùs ac Matris nomina sancta piæ.
Innupta lugent multo plangore puella,
Exemplumq; dolent tam sibi grande rapi.
Confusa pereunt quas formant gutture voces,
Verba natant intùs qua dolor ipse vorat,
Nec lacrimâ cessant oculos implere perenni,
Et tepido molles imbre rigare genas.
Nec modò tristifico domus instrepat unica luctu,
Urbs etiam vultum collacrimantis habet.
Veste dolens pullâ geminus, mœrensq; Senatus,
Consulis Uxorem mactat honore pio.
Et posito sumit lato lugubria clavo
In manes pietas officiosa tuos.
Mânibus & matres castæ pia corda parentant,
Teq; sui lugent sidus obisse chori,
Atq; tibi lacrimis posita testantur honorem,
Quæ desiderio sunt documenta tui.
Per fora perq; vias summum comitantur honorem,
Exequiasq; tibi turba frequenter eunt,
Quantam vix anni possunt meminisse priores.
Virtutis series maxima testis erat,
Acceptam qua te summis, mediocribus, imis
Fecerat, instimulans solvere justa tibi.

Nid.

Nobiscum in similes discedunt omnia luctus,
Inq; tuâ fœdè squalida morte jacent.
Et lacrimas nostris sociantes fletibus omnes,
Virgo, senex, juvenis, vir mulierq; favent.
Nullus in urbe pius nostrâ, quin mœstus acerbi
Præferat insignes vulneris ore notas.
Exigua ingentis sed enim solatia luctus,
Viventium lacrimæ sunt honor ille sitis,
Quid verò immenso oppressi mœrore Parentes?
Vulnere quos casus confodit iste gravi.
Hic faciem obnubo, nec possum ostendere vultum,
Verba mihi, vultus, vox animusq; cadunt.
Quenquam posse putas hunc enarrare dolorem,
Sub quo semineces nocte dieq; gemunt?
Heu rerum inverti leges quàm saepe querentur,
Quàm vellent vitam deposuisse prius!
Quantis decidimus de spebus uterq; parentum,
Quas tuus in vitâ blandus alebat amor?
Debebas oculos componere, Filia, nostros,
Ibimus exequias Nos tibi, Mater ait.
Ad tædas tulimus gressus properanter aniles,
Lætitiæ optatum magna jurabat iter.
Nunc nunc exequias fortuna resistit eamus,
Genua labant, mœror dejicit iste pedes.
Desumus officio pietatis, Nata, coacti,
Solvimus injustè sed tibi iusta domi.
O nimium nobis defleti ignoscite manes,
Officium Fratres hoc sit obire satis!

C

Filia,

Filia, delicia, communis filia, nostris
 Lucida gemma tori, filia, filiola,
 Ne te tam properè conspectu subtrahere nostro,
 Delicia Patris, Filia, Matris amor!
 Deseris infirmos senio & mœrore parentes,
 Et nobis fructus non nisi luctus erit?
 Quid? geminas nobis credis tua pignora neptes?
 Quas nimis infantes desita destituis.
 Filia, fregisti moriens tu commoda nostra,
 Tecum est spes nostra magna sepulta domus.
 Cujus ob excessum de mente fugavimus omnes
 Lætitiâ totâ deliciasq; animi.
 In tumultum tecum descendunt gaudia nostra,
 Qua poteras vultu gignere sola tuo,
 O nostrâ liceat vitam tibi morte pacisci,
 O sinerent Parca ferrea jura fera!
 Spiritus amborum migrans ex corpore nostro,
 Iret in exuvias, Filia chara, tuas.
 Fas erat hanc animam lucrari posse duabus,
 Sed neq; jus audit nec fera Parca preces.
 Sic gemit alteruter, sic clamat uterq; Parentum,
 Filia tu querulo semper in ore manes.
 Qui tanto poterit fomenta adhibere dolori,
 Vulnere pro gemino quis-ve malagma dabit?
 Dicite: qui punctus olim sensistis eosdem,
 Num major queat hoc esse dolore dolor?
 Canitie annorû & morum venerande NEANDER,
 Atq; Academiæ gloriæ Marchiacæ,

Non

Non sic indoluit, quamvis immane doleret
Tulliôlâ ex partu deficiente Pater:
Ut tu filiôlâ mæres moriente SIBYLLA
DOROTHEA, quæ Cor, quæ tibi Vita fuit,
Tadia quæ poterat vestra lenire senectæ,
Quæ dilectâ tibi filia semper erat,
Lædere quæ vultu pietatem visa nec unquam est,
Debita seu matri, seu foret illa tibi.
Clare Vir, & charo semper reverende Nepoti,
Semper honorandi Patris habende loco,
Non secus ac vestro de corpore parte recisâ;
Flebile cum mæstâ Conjuge vulnus alis.
Sicut ubi pullos pueri petulantia nido
Exturbat, volucris quâ valet arte vetat,
Viribus insurgens major, discrimina temnit,
Seq̃, ultrix offert prolis amore neci:
Sic Genitrix pulso prædam hanc exculpere sexu,
Faucibus haut dubitat, Mors violenta, tuis.
Sed vincis, quid enim queat hic imbellia Matris,
Matris anûs, ubi nil æs, mare, saxa queant.
Hoc in proclivi est alieno fortia luctu
Verba loqui, imber uti cum pluit esse solet.
Non mihi, non illas sumo quasi præfica partes,
Non ego quod magnus sit dolor iste nego.
Vulnera nec possunt perferre recentia tactum,
Tempore curari commodiore volunt.
Ipse equidem frangi luctu mihi sentio pectus,
Et prorsus penetrat tantus ad ossa dolor.

An'ne colende tibi contingat Avuncule quicquam,
Cujus non & ego pars quotacumq; ferar?
Quem tu perpetuò non tanquam vulgus amicum,
Sed pater ut natum diligis & generum,
Ulla nec eripient animis oblivia, Natæ
Quæ pietas fuerit commemoranda tuæ,
Et Cognatorum cura haut simulata suorum,
Eheu, quàm rara est talis in orbe fides!
O pia DOROTHEE compòsta quiesce SIBYLLA!
Et tibi sit tellus, nostra NEANDRA, levis.
Nulla dies vitâ mihi tristior accidit omni;
Conscia discessûs quàm fuit illa tui.
Nulla revertetur vitâ mihi amarior omni;
Ultima quàm vita qua fuit hora tua.
O sancta, & quam sic miserandum plangimus, Umbra,
Cognati inferias has lacrimantis habe,
Mnemofynon luctûs, desiderijq; perennis
Symbolon, affectus flebile lemma pi.
Si pensare queat mors triste vicaria fatum,
Aut delegari si pote jura necis;
Non ibi tu nobis nimium dilecta jaceres,
Et pro te cupidus qui moreretur erat.
Humanis sed lex votis divina repugnat,
Nec nostrum sese flectit ad arbitrium,
Nil præter lacrimas & nomen inane relinquens,
Et pia defunctæ tot monumenta tui,
An'ne tibi manibus spargemus lilia plenis?
Cui vivæ JESUS flosculus unus erat,

Flosculus

Flosculus in
Prodidit
Spiritus æthe
Ampli
Simulare qu
Adq;
Ex animo po
Et pote
Nesiris Pie
Relligi
Spiritus ant
Et cele
Corde meo p
Impius
Hoc unum e
Et long
Quantulac
Mate
Amissa des
Perpet
Fata carere
Sed do
Ipse licet ve
Et Sto
Porticus illa
Barba
Molliter hu
Est pa

Flosculus in viridi depactus pectoris horto,
Prodidit esse intus quem pietatis odor.
Spiritus ætherio CHRISTI perfusus odore,
Amplius haut magni munus inane facit.
Si mutare queunt retrò vaga flumina cursus,
Adq̄ sui rursùm fontis abire caput;
Ex animo poteris tunc evanescere nostro,
Et potero forsàn non meminisse tui.
Ne sis Pietas, & sanguinis ardua juncti
Religio, tantum vos prohibete nefas!
Spiritus antè mihi tennes discedat in auras,
Et celer ex fesso corpore sensus eat:
Corde meo probitas tua quàm discedere possit,
Impius aut tentem non memor esse tui.
Hoc unum doleo, quòd nec mea carmina tanti,
Et longè meritis inferiora tuis.
Quantulacunq̄, tamen dictabunt carmina Musæ,
Materiem laudis sunt habitura tua.
Amisssæ desiderio extensurus amorem,
Perpetuâ mæstus te memorabo fide.
Fata carere tui cogunt, nec fata refuto,
Sed dolor haut patitur de meminisse tui.
Ipse licet venias comitatus Zeno Cleanthe,
Et Stoa quæis colitur cunq̄, severa viris:
Porticus illa quidem non est, est illa Tyrannis,
Barbara amare jubet, dura dolere vetat.
Molliter hunc obitum ferimus, nec enim ista fateri
Est pudor, esse homines quis prohibere queat?

Molliter omninò ferimus, ne tristior instes
O Nemeli, & luctus nos peracerbus habet.
Hæret, & immotus solamen ad omne resistit,
Inq̄ agro regnum corde rebellis habet.
Querimus interdum verbis sopire dolorem,
Ille malâ dormit sed tamen usq̄ fide.
Atra diem quoties suffocat cura serenum,
Tardè nocturnos ire dolemus equos,
Fortè rati somno mitescere tedia posse,
Qui dormitor luctûs esse furentis amat:
At Nox curarum nutricula amarior urgens,
Mœrentes vanis ludit imaginibus,
Verbaq̄ dat Sopor, & sensûs malè calvitur agros,
Sublestâ insinuans tristia corda fide.
Cumq̄ super terras animalia cuncta silescent,
Latrat in exsomni pectore cura vigil.
Damnare incipimus rursùm temeraria vota,
Et pulsâ petimus nocte redire diem.
Non fallor, fixa est animis sententia, finis
Et vitæ tantiq̄ una doloris erit.
Sic qui decrêram, non sensum auferre dolori,
Sed lenire tamen, saucior ipse magis.
Difficile est magnum subitò finire dolorem,
Difficile est, pausam nec libet hic facere.
Una super Spes est, quæ nos solabitur una,
Si potis, & quid non sit potis efficere?
Tempus abest propiûs, tibi cùm jungemur amantes,
Aspera quâ nunc nos fata carere volunt.

Ibimus

Ibimus, ang
Horule
Munde va
Nontu
Propietate
Proca
Melle lita
Sidera
Hoc Soph
Hoc p
Nonteneb
Est u
Eterni Pa
Meta
Ibimus h
Qua
Qua sine
Et vi
Absq; lab
Null
Nunc ub
Ac
Nostec
Gau
Ibimus h
Qua
Dividia
Hoc

Ibimus, angusto quò tramite præcessisti,
Horulateq; brevi, quando sequemur, erit.
Munde vale, fœcunde dolis, atq; ebrie culpis,
Non tua sunt tanti præmia, munde vale.
Pro pietate probrum, pro simplicitate cachinnus,
Pro candore dolus, proq; labore malum,
Melle lita, at succis taxi magè noxia verba,
Sidera quæ diris inficiantq; sonis:
Hoc Sophos est immane tuum, quo ludere pergis,
Hoc pleriq; apicem & regna tenere vocant.
Non tenebræ æternùm nos claudent carceris hujus,
Est ubi nos maneat lucida tota domus,
Æterni Patris ampla domus, credentibus illis
Metator statuit Filius ipse locum.
Ibimus huc, quidni? properabimus agmine facto,
Quà vultu pascet nos DEUS ipse suo,
Quà sine nocte dies, constans sine nube serenum,
Et viror ætherios jugis amœnat agros,
Absq; labore quies, ætas sine tempore florens,
Nullaq; perpetuum ver labefactat hiems,
Nunc ubi cœlituum numeris ascripta triumphans
Accinis Angelicis lata SIBYLLA choris.
Nos tecum hîc, tu nobiscum certissima carpes
Gaudia, quæ nequeat vis temerare necis.
Ibimus huc, quidni? sumptis properabimus alis,
Quando voles, huc nos ò DEUS alme voca.
Dividiæ nobis etiam expectatio parva est,
Hoc ad te cupidi qui properamus iter.

Si qua

*Si qua meis ergò reperitur gratia dictis,
Hac præclare mihi pauca NEANDER habe.
Quis tentet pugnare DEO, decretaq; cæli
Scindere, vel fixo fata movere loco?
Lata semel lex est horrendi carminis illa,
Unde est eximius nemo repertus homo:
Prima parens postquam jussus transgressa Tonantis,
Cuncta sub arbitrium cedere nata necis.
Sed mors illa Pijis verè via lactea cæli est,
Et simulacra levis blanda soporis habet.
Folliculum hunc hominis nimirum animæq; salillum
Destruit, inq; animam nil ea juris habet,
Libera quæ simul ac emissa è carcere tristi,
Avolat, & cælum leta libensq; petit,
Expectatq; novas rediviui corporis ades,
In quibus aternum post habitare queat.
Efficit hoc CHRISTI meritum sanguisq; profusus,
Janua quæ cæli clave reclusa patet.
Nec frustra speres revocari posse querelis,
Quam semel in cives scripserit aula poli.
Ex tenebris lucem, non contrà namq; petendum est,
Interris tenebræ, lux super astra manet.
Pax ibi perpetua est nullorumpenda tumultu,
Pestiferæ mundus semina litis alit.
Sit Vobis placuisse satis, placuisse Marito,
Quò magis id placeat jam placitare DEO.
Sidera nunc inter cognati lucida cæli
Quæ nova conspicuo stella nitore micat,*

Et cunctis

*Et cunctis e
Quicq;
Qui luctum
Latit
Si qua tam
Vulne
Tu modò c
Et lu
Uberis ing
Quo
Non ego se
Qui
Limus ut
Tur
Flexanin
M
Quos no
Qu
Sape aliq
Fur
Sed sim
M
Et profu
El
Quid, t
Ho
Fortior
Vi*

Et cunctis exempta malis despectat ab alto
Quicquid lunari triste sub axe manet.
Qui luctum immisit DEUS, hunc expectoret idem,
Latitiâ questus & propiore fuget.
Si qua tamen possunt attollere gaudia pectus,
Vulnere confossum quod miseranter hiat.
Tu modò da pronam Superis solantibus aurem,
Et luctum in molli temne fovere sinu.
Uberis ingenij fontes reclude beatos,
Quodq; tibi officium debeo, redde mihi.
Non ego solati penetrantis idoneus autor,
Qui medicam mœrens ipse requiro manum.
Limus uti venas vitreis oppilat in undis:
Turbatâ stillat sic mihi mente metrum.
Flexanimum Tu te magis esse memento NEANDRUM,
Multaq; de Luctu fixa tropæa tibi.
Quos non sermo tuus possit sedare dolores?
Quem Charis & roseo perpluit imbre Venus.
Sæpe aliquis voluit sevo intabescere planctu,
Funeris elati præq; dolore mori:
Sed simul atq; tuæ persensit flumina Peithûs,
Mutatus mentem, vivere præstat, ait;
Et profligati præconia debita luctûs
Eloquio tribuit fortior inde tuo.
Quid, toties rebus Constantia cognita in arctis,
Hoc demum dederit victa dolore manûs?
Fortior ille quidem te contra insurgere tentat,
Victoremq; hostis vincere victor a vet;

D

Tu tamen

Tutamen hac palmam quoq; deportabis arenâ,
 Robore munitus presidioq; DEI.
 Sunt tibi, sintq; super Natæ simulacra perempta,
 Neptes perpetuò dulcis amarities,
 Quas formet Pietas, & Virtus educet omnis,
 Pòst generos olim concilientq; probos:
 Sunt super & Themidos geminata corcula Nati,
 Curia quos dicit, quos fora iusta suos.
 Hisce superstitibus, DEUS ô largire perennent,
 Desertam non est quod vereare domum,
 Audiat hoc tecum admittens mœstissima Conjux,
 Qua me materno semper amore fovet,
 Coniuge teq; diu vivo incolumiq; fruatur,
 Ut Natâ orbatam se minùs illa gemat.
 O ntinam & Consul tibi Prudentissime luctum
 Comminui cernam, quem tibi nupta facit,
 Jam non nupta magis, sed vi de pectore rapta,
 Et CHRISTO jungi cœpta, recepta polo.
 Tutamen ô lugens animum ne pone virilem,
 Te priùs adjicies, quàm revocare queas.
 Quam tu constanti vivam complexus amore es,
 Valdiùs hanc agrè ne fer amare DEUM.
 Nate DEO lacrimas oculis absterge dolentùm,
 Et defende piâ damna metusq; domo.
 Interijste nega, desolatosq; parentes
 Et viduum affatù CHRISTE benigne iuva,
 Interijste nega, superâ quam sedo recepsti:
 Tu manare genas nocte dieq; veta.

✽(o)✽

CHRISTO

CHRISTO LIBERATORI

s.

CLARISSIMÆ ET PRIMARIÆ FOEMINÆ

DOROTHEÆ-SIBYLLÆ NEANDRÆ

MATRONÆ PIETATE ET MORUM INTEGRITATE

AC INNOCENTIA PRÆSTANTISSIMÆ.

VIRI CL. CONSULTISSIMI ATQ; EXCELLENTISSIMI

DN. M. CHRISTOPHORI NEANDRI

ACAD. FRANCOF. PROF. PUB. ET SENIORIS.

EX MATRONA HONESTISS. ET ORNATISS.

ANNA CNOBLOCHIA FIL.

CL. & EXC. VIRI

DN. JOANNIS CNOBLOCHII MED. DOCT.

PROF. ET PHYSICI FRANCOF. ATQ; PRACT. CELEB.

FILIÆ UNICÆ ET DULCISS.

AMPL. ET SPECT. VIRI

DN. SAMUELIS GERSTMANI

REIP. FRANCOF. CONS. PRIMARI

CONJUGI DESIDERATISSIMÆ,

QVÆ

PIAS INTER PRECES VERA IN CHRISTUM FIDE

BEATE PLACIDEQVE IN IPSO FLORE

PROPINQVA PARTITUDINE

EXTINCTA

MAGNO OMNIBUS LUCTU ET

SUI DESIDERIO RELICTO

NATURÆ DEBITUM PERSOLVIT

IV. IDUS OCTOB. AN. SAL. CIO DCCXXXVII.

CUM VIXISSET ANNOS XXVI. M. VIII. D. XIII.

IN

CASTISSIMO ET TRANQVILLISSIMO

NONDUM INTEGRI QVINOVENNII

CONJUGIO

MATER FACTA DUAR. FILIOLAR.

ANNÆ-DOROTHEÆ ET MARGARITÆ,

TERTII FOETUS IPSA SEPULCRUM LACRIMABILE

CONSOB. SUÆ VENERANDÆ.

PII AFFECTUS, MOERORIS ET DESIDERII

H. MONUMENTUM

F.

J. M.

Epitaphium.

Hic sita DOROTHEE pia Nata SIBYLLA parentum
Ante diem immiti funere rapta jacet,
Cui Pater omnigenâ celeberrimus arte NEANDER
Hujus Athenæi gloria cana cluit,
ANNAq; CNOBLOCHII Medici proba filia, Mater
In matronali lucida gemma choro,
Delicium ambobus, generis spes, una voluptas;
Perpetuâ coluit quos pietate, fide:
GERSTMANI Conjux castissima Consulis, Eheu!
Vix thalamus lustralis totius ille fuit.
Sed tamen ex illo potuit decerpere fructus,
Filiolas linguens Mater honesta duas.
Tertius invenit foetus sub corde sepulcrum
Materno, in lucem nec potis ire fuit.
Qui legis hæc, tumulo lacrimas affunde dolenter,
Et dic: HEU, SEMPER-VIVERE DIGNA JACES!
Corpore clausa quidem: coeli sed in arce triumphat
Spiritus: O CINERI PAX SIT HONORq; TUO.

DORO

QU

M. JO

Creda

Non

Summ

Nobis

Vivis

Tu no

Horis

Conf

De n

NASCEB.

RENASC.

Carmen Elegiacum quod scripsi Joanni Baptista Gebelio
Svidnic. Silesio Pastori Ecclae in Raciborow.

cum praedum Magistrum nancisceret Decano
M. Theodoro Berto 17 Calend. Maij
A. 624. aetate meae 19.

Ita bonis avibus GEBELI, quos Deus Autor,
Quos te fata vocant, ita bonis avibus.

Magnum opus adgrederis, sed, quod tibi cine fultus
Numinis atberei, fortiter expedies.

Ambuet orantis linguam locuplete Suada,

SPIRITUS Orator caelicus ille, tuam.

Seminium disperge **DEI** per cordium agellos:

Nec sine mole preces, aut sine fruge, dato.

Et vineta **DEI** assiduo accubudq; labore

Percole, quo fructus mille, supraq; ferant:

BAPTISTAM ex cathedra **BAPTISTA** imitare tonantem

GEBELI! vera pro pietate puta:

Instrue non-doctos, errantes corrige, fractos

Erige, confuta dogmata vera minus.

Sic vivente volent tecum partizier annos

Prospera dicentes quos sacra dicta feres.

Sublatiq; olim manibus, sine pondere terram

Manibus optabunt, (sed bene sero) tuis,

Cum tuba te rupta tumba revocabit ab umbris,

IOVA, mei pastor dicet, adesto, gregis;

Ambrosia rursus te pascam & nectare; quare

Magna cape astrati praemia, carpe, poli.

Hoc penitis animi penetrabilibus opto, precorq;

JANE mihi multo n nomine care! **VACE.**

ULB Halle

3

002 062 674





142

RISSIMÆ ET
ONSULARI
F O E M I N Æ

O T H E Æ -
B Y L L Æ
E A N D R Æ ,

obrinæ suæ Opt.
& dilectissimæ,

IV. Id. Octobr.

Anno assertæ salutis

10 10 CXXXVII.

piè in CHRISTO
defunctæ,

mæstissimus

PARENTAB.

NES MOLLERUS

cholæ Francofurtanæ

RECTOR.

ancofurticis Viadrum

Literis

MICHAELIS KOCHII.

112

